

COWLEY (Abraham)

CARMINA (470 vers)

## DE FELICI PARTU REGINAE MARIAE

C\_1 v.1 Dum more antiquo jejunia festa coluntur,  
 2 et populum pascit relligiosa fames,  
 3 quinta beat nostram soboles formosa Mariam.  
 4 Paene iterum nobis, laete December, ades.  
 5 Ite, quibus lusum Bacchusque Ceresque ministrant,  
 6 et risum vitis lacryma rubra movet.  
 7 Nos sine laetitiae strepitu, sine mumure laeti :  
 8 ipsa dies novit vix sibi verba dari.  
 9 Cum corda arcana saltant festiva chorea,  
 10 cur pede vel tellus trita frequente sonet ?  
 11 Quidve bibat regi, quam perdit turba, salutem ?  
 12 Sint mea pro tanto sobria vota viro.  
 13 Crede mihi, non sunt, non sunt ea gaudia vera  
 14 quae fiunt pompa gaudia vera sua.

## IN FELICISSIMAM REGINAE MARIAE FERTILITATEM

C\_2 v.1 Vicisti tandem, vicisti, casta Maria.  
 2 Cedit de sexu Carolus ipse suo.  
 3 A te sic vinci magnus quam gaudeat ille !  
 4 Vix hostes tanti vel superasse fuit.  
 5 Jam tua plus vivit pictura. At proxima fiet  
 6 regis, et in methodo te peperisse juvat.  
 7 O bona conjugii concors discordia vestri !  
 8 O sancta haec inter jurgia verus amor !  
 9 Non Caroli puro respirans vultus in auro  
 10 tam populo (et notum est quam placet ille) placet.  
 11 Da veniam, hic omnes nimium quod simus avari.  
 12 Da veniam, hic animos quod satiare nequis.  
 13 Cumque (sed o nostris fiat lux serior annis)  
 14 in currum ascendas laeta per astra tuum,  
 15 natorum in facie tua viva et mollis imago  
 16 non minus in terris quam tua sculpta regat.

## IN FELICISSIMAM REGINAE MARIAE FERTILITATEM

C\_3 v.1 Naturae facies renovatur quolibet anno,  
 2 et sese mirum fertilis ipsa parit.

3 Sic quoque naturae exemplar regina, decusque,  
 4 in foetu toties se videt ipsa novam.  
 5 Paene omnem signas tam saepe puerpera mensem,  
 6 et cupit a partu nomen habere tuo.  
 7 Quaeque tuos toties audit Lucina labores,  
 8 vix ipsa in proprio saepius orbe tumet.  
 9 Fecundam semper spectabis, Jane, Mariam,  
 10 sive hac sive illa fronte videre voles.  
 11 Discite, subjecti, officium : regina marito  
 12 annua jam toties ipsa tributa dedit.

C\_4 v.1 Dum redit a sanctis non fessus Carolus aris,  
 2 principis occurrit nuntia fama novi.  
 3 Non mirum, existat cum proximus ipse Tonanti,  
 4 vicinum attingunt quod cito vota Deum.  
 5 Non mirum, cum sit tam sancta mente precatus,  
 6 quod precibus merces tam properata venit.  
 7 Factura o longum nobis jejunia festum !  
 8 O magnas epulas exhibitura fames !  
 9 En fundunt gemitum, et lacrimarum flumina. Turbam  
 10 cum regina ipsam parturiisse putes.  
 11 Credibile est puerum populi sensisse dolores,  
 12 edidit hinc maestos flebilis ipse sonos.

C\_5 v.1 Ergo redis, multa frontem redimitus oliva,  
 2 captivaeque ingens laurea pacis adest.  
 3 Vicerunt alii bellis et Marte cruento,  
 4 Carole, tu solus vincere bella potes.  
 5 Te sequitur volucris mitis Victoria penna,  
 6 et famae pennas praevenit ipsa suae.  
 7 Te voluere sequi convulsis Orcades undis  
 8 sed retinent fixos frigora saeva pedes.  
 9 Te prope viderunt, o terris major Apollo,  
 10 nascentem, et Delo plus licuisse dolent.  
 11 Tanta decent Carolum rerum miracula. Tecum,  
 12 si pelago redeas, insula navis eat.  
 13 Si terra, vestri comitentur plaustra Bootae,  
 14 sed rota tarda gelu, sed nimis ipse piger.  
 15 Compositam placide jam laetus despicit Arcton,  
 16 horrentesque novo lumine adornat equos.  
 17 Ah numquam rubeat civili sanguine Tueda,  
 18 nec petat attonitum decolor unda mare !  
 19 Calisto in vetitum potius descenderet aequor,  
 20 quam vellet tantum maesta videre nefas.  
 21 Convenisse feris inter se noverat ursis,  
 22 et generi ingenium mitius esse suo.  
 23 Nos gens una sumus. De Scoti nomine et Angli  
 24 grammatici soli proelia rauca gerant.  
 25 Tam bene cognatos compescit Carolus enses,  
 26 et pacem populis fundit ab ore suis.  
 27 Haec illi laudem virtus immensa minorem  
 28 eripuit, numquam bella videre potest.

29 Sic gladios solvit vaginis fulgur in ipsis,  
 30 effectuque potest vix prius ire suo.  
 31 Sic vigil aeterno regnator Phoebus Olympo  
 32 circumfert subitam, qua volat ipse, diem.  
 33 Nil illi prodest stellarum exercitus ingens,  
 34 ut possit tenebras pellere, solus adest.

ELEGIA DEDICATORIA, AD ILLUSTRISSIMAM ACADEMIAM CANTABRIGIENSEM

C\_6 v.1 Hoc tibi de nato, ditissima mater, egeno  
 2 exiguum immensi pignus amoris habe.  
 3 Heu meliora tibi depromere dona volentes  
 4 astringit gratas parcior arca manus.  
 5 Tune tui poteris vocem hic agnoscere nati  
 6 tam male formatam, dissimilemque tuae ?  
 7 Tune hic materni vestigia sacra decoris,  
 8 tu speculum poteris hic reperire tuum ?  
 9 "Post longum," dices, "Coulei, sic mihi tempus,  
 10 sic mihi speranti, perfide, multa redis ?  
 11 Quae", dices, "sagae lemuresque deaeque nocentes  
 12 hunc mihi in infantis supposuere loco ? "  
 13 At tu, sancta parens, crudelis tu quoque, nati  
 14 ne tractes dextra vulnera cruda rudi.  
 15 Hei mihi, quid fato, genetrix, accedis iniquo ?  
 16 Sit sors, sed non sis ipsa noverca mihi.  
 17 Si mihi natali Musarum adolescere in arvo,  
 18 si bene dilecto luxuriare solo,  
 19 si mihi de docta licuisset plenius unda  
 20 haurire, ingentem si satiare sitim,  
 21 non ego degeneri dubitabilis ore redirem,  
 22 nec legeres nomen fusa rubore meum.  
 23 Scis bene, scis quae me tempestas publica mundi  
 24 raptatrix vestro sustulit e gremio,  
 25 nec pede adhuc firmo, nec firmo dente, negati  
 26 poscentem querulo murmure lactis opem.  
 27 Sic quondam aerium vento bellante per aequor,  
 28 cum gravidum autumnum saeva flagellat hyems,  
 29 immatura sua velluntur ab arbore poma,  
 30 et vi victa cadunt, arbor et ipsa gemit.  
 31 Nondum succus inest terrae generosus avitae,  
 32 nondum sol roseo redditur ore pater.  
 33 O mihi jucundum Grantae super omnia nomen !  
 34 O penitus toto corde receptus amor !  
 35 O pulchrae sine luxu aedes, vitaeque beatae,  
 36 splendida paupertas, ingenuusque decor !  
 37 O cara ante alias, magnorum nomine regnum  
 38 digna domus, Trini nomine digna Dei !  
 39 O nimium Cereris cumulati munere campi,  
 40 posthabitis Ennae quos colit illa jugis !  
 41 O sacri fontes ! Et sacrae vatibus umbrae,  
 42 quas recreant avium Pieridumque chori !  
 43 O Camus, Phoebos nullus quo gratior amnis !  
 44 Amnibus auriferis invidiosus inops !  
 45 Ah mihi si vestrae reddat bona gaudia sedis,  
 46 detque Deus docta posse quiete frui,

47 qualis eram cum me tranquilla mente sedentem  
 48 vidisti in ripa, Camo serene, tua !  
 49 Mulcentem audisti puerili flumina cantu ;  
 50 ille quidem immerito, sed tibi gratus erat.  
 51 Nam, memini, ripa cum tu dignatus utraque,  
 52 dignatum est totum verba referre nemus.  
 53 Tunc liquidis tacitisque simul mea vita diebus,  
 54 et similis vestrae candida fluxit aquae.  
 55 At nunc caenosae luces, atque objice multo  
 56 rumpitur aetatis turbidus ordo meae.  
 57 Quid mihi Sequana opus, Tamesisve aut Thybridis unda ?  
 58 Tu potis es nostram tollere, Came, sitim.  
 59 Felix qui numquam plus uno viderit amne,  
 60 quique eadem salicis litora more colit !  
 61 Felix cui non tentatus sordescere mundus,  
 62 et cui pauperies nota nitere potest,  
 63 tempore cui nullo misera experientia constat,  
 64 ut res humanas sentiat esse nihil !  
 65 At nos exemplis Fortuna instruxit opimis,  
 66 et documentorum satque superque dedit,  
 67 cum capite avulsum diadema, infractaque sceptrum,  
 68 contusasque hominum sorte minante minas,  
 69 Parcarum ludos, et non tractabile fatum,  
 70 et versas fundo vidimus orbis opes.  
 71 Quis poterit fragilem post talia credere puppim  
 72 infami scopulis naufragiisque mari ?  
 73 Tu quoque in hoc terra tremuisti, academia, motu  
 74 (nec frustra) atque aedes contremuere tuae.  
 75 Contremuere ipsae pacatae Palladis arces,  
 76 et timuit fulmen laurea sancta novum.  
 77 Ah, quamquam iratum, pestem hanc avertere numen,  
 78 nec saltem bellis ista licere velit !  
 79 Nos, tua progenies, pereamus, et ecce, perimus !  
 80 In nos jus habeat, jus habet omne malum.  
 81 Tu stabilis brevium genus immortale nepotum  
 82 fundes, nec tibi mors ipsa superstes erit.  
 83 Semper plena manens uteri de fonte perenni  
 84 formosas mittes ad mare mortis aquas.  
 85 Sic Venus humana quondam dea saucia dextra  
 86 (nam solent ipsis bella nocere deis)  
 87 imploravit opem superum, questusque cievit,  
 88 tinxit adorandus candida membra cruor.  
 89 Quid quereris ? Contemne breves secunda dolores,  
 90 nam tibi ferre necem vulnera nulla valent.

AD CELEBERRIMUM COLLEGIUM S.S. TRINITATIS  
 IN ILLUSTRISSIMA ACADEMIA CANTABRIGENSI

C\_7 v.1 Sancta mihi semper nutrix, et ad ubera cujus  
 2 jam redeo nimium dulcia paene senex,  
 3 accipe parva libens horti plantaria nostri,  
 4 ingenii sicco pauperis orta solo.  
 5 Uberiora quidem, cultrix doctissima, ferre  
 6 debuit illa tua consita terra manu.  
 7 Debuit, at sacri pars infecunda laboris,

8           pars (pudet o) tibi nos infitianda sumus.  
 9           Sed tribulos, loliumque et viles inter avenas  
 10          si reperis frugis germina pauca bonae,  
 11          "Haec mea sunt," dicis. Haec olim semina cultae  
 12          mandavi terrae, cetera sponte tulit.

## HYMNUS IN LUCEM

C\_8       v.1       Pulchra de nigra soboles parente,  
 2           quam Chaos fertur peperisse primam,  
 3           cujus ob formam bene risit olim  
 4           massa severa !  
 5           Risus, o terrae sacer et polorum !  
 6           Aureus vere pluvius tonantis !  
 7           Quaeque de caelo fluis inquieto  
 8           gloria rivo !  
 9           O salus rerum, et decus omne, salve,  
 10          vita naturae vigil actuosae !  
 11          Omnium mater bona cum calore  
 12          juncta marito !  
 13          Unde, momento, quibus e pharetris  
 14          tela per totum jacularis orbem ?  
 15          Praepotensque diveque, Deique verbum  
 16          fassa paternum ?  
 17          Carceres ipsos simul atque metam  
 18          linquis attingisque, animi sagittis  
 19          ocior strictis, rapida angelorum  
 20          ocior ala.  
 21          Aureo lunae bene laeta curru  
 22          auream astrorum peragrare sylvam, et  
 23          vere nocturno reparata semper  
 24          visere prata,  
 25          regiam gaudens habitare solis  
 26          more in aeternum Scythico vagantem, et  
 27          divitem mundi redeunte gyro  
 28          ducere pompan,  
 29          inter et tantos humilis triumphos  
 30          vermium dignata animare causas,  
 31          pauperes dignata hilarare parva  
 32          lampade vepres.  
 33          Te fugit nigris comitata pullis  
 34          nox, et adverso latitat sub axe,  
 35          te fugit penna trepidans inert  
 36          noctua somnus.  
 37          Discolorato glomerans racemo  
 38          turba pictorum vaga somniorum  
 39          avolat. Mixtas sine more formas  
 40          trudit et urget.  
 41          Quin et obscaenas repetunt latebras  
 42          saecla serpentum male consciorum,  
 43          nec tibi natura pudens sinistrum  
 44          objicit omen.  
 45          Ad tuos quondam dolor ipse vultus  
 46          fertur invitam recreasse frontem,  
 47          cura subrisit, pepulitque rugas

48 ore maligno.  
 49 Ad tuos quondam timor ipse vultus  
 50 excutit turpem genubus tremorem,  
 51 pallor ignescit, capite insolente  
 52 cornua vibrant.  
 53 Inverecundi dominator oris  
 54 te tamen testem metuit Cupido.  
 55 Flamma cognatis rotat in tenebris  
 56 sordida fumo.  
 57 Tu, dea, eoi simul atque caeli  
 58 exeris pulchrum caput e rosetis,  
 59 in tuas laudes volucrum canoris  
 60 personat hymnis  
 61 aula gaudentis reserata mundi.  
 62 Spectra discedunt, animaque noctis  
 63 vana disceduntque tenebrionum  
 64 monstra deorum.  
 65 Te bibens arcus Jovis ebriosus  
 66 mille formosos revomit colores,  
 67 pavo caelestis, variamque pascit  
 68 lumine caudam.  
 69 In rosa pallam indueris rubentem,  
 70 in croco auratam indueris lacernam,  
 71 supparum gestas quasi nuda rillum  
 72 lilia complens.  
 73 Fertilis Florae sobolem tenellam  
 74 purpura involvis violas honesta  
 75 veste segmentata operis superbas  
 76 larga tulippas.  
 77 Igne concreto fabricata gemmas  
 78 floream immisces solidumque fucum.  
 79 Invidet pictus, fragilesque damnat  
 80 hortus honores.  
 81 Parcior fulvis utinam fuisses,  
 82 diva, largiri pretium metallis !  
 83 Parcior, quantis hominum allevasses  
 84 pectora curis !  
 85 Mi quidem solis nitor et diei  
 86 innocens fulgor magis allubescit,  
 87 pars quota humani generis sed aurum  
 88 non tibi praefert !  
 89 Aetheris gyros per inexplicatos,  
 90 aeris campos per et evolutos,  
 91 aequoris per regna laboriosi  
 92 flumine vivo  
 93 lucidum trudis properanter agmen,  
 94 sed resistentum super ora rerum  
 95 leniter stagnas, liquidoque inundas  
 96 cuncta colore.  
 97 At mare immensum, oceanusque lucis  
 98 jugiter caelo fluit empyraeo.  
 99 Hinc inexhausto per utrumque mundum  
 100 funditur ore.

## A.C. CLIFFORDO S. D. CUM AB EO PESSIMUM OMNIUM POETAM DONO ACCEPISSET

C\_9 v.1 Quis putet hoc ? Etiamne φιλοῦ nunc δωρον ἄδωρον ?  
 2 Quo fugere fides, pietas, socialia jura  
 3 cum tu sustineas tali mactare libello  
 4 Couleium, Clifforde, tuum ? Quin et, male false,  
 5 munere commendato iudicio quoque nostro  
 6 fecisti insidias, captum ludosque jocumque  
 7 facturum. Sed te Danaorum dona ferentem  
 8 praeveniam Phrygibus sapientior, et mihi certum est  
 9 Musaeo exclusum subjectis urere flammis  
 10 infelix munus, librumque Sinonidis amici.  
 11 At Nemesis (nam tu gaudes punire scelestos)  
 12 suggere vindictam horribilem mihi : quid faciam, ede.  
 13 Illa refert contra : "Magis ulli talio numquam  
 14 in promptu fuit, ut siquis lapide improbus ultro  
 15 te petat, haud aberit longe credo lapis ultor.  
 16 Grassantem versu, versu referire memento.  
 17 Sentiat, ista movens plusquam civilia bella,  
 18 ille pares aquilas et pila minantia pilis.  
 19 Sunt prope bis centum furiosa mente poetae  
 20 (quorum nil opus ut celeberrima nomina dicam,  
 21 αἰδέομαι quoniam, quamvis dea, Τρώας, et illis  
 22 admiratores numerosi, sed bene nosti).  
 23 Horum quos furere exacte in totumque videbis  
 24 selige quinquaginta aliquos, gratusque remitte.  
 25 Si temet super ipse dabis, tu non leve pondus  
 26 vindictae adjicies... [LACUNE]  
 27 Haec acris praecepta dedit dea. Totne poetas  
 28 magno emisse malos vindictae me decet ergo ?  
 29 Sim potius pius, et facilis veniam dare culpae.  
 30 Quodque nihil constat faciam : illi carmina mittam,  
 31 et nequam immani plectetur epistola abunde  
 32 in tergo scriptum, furiis quae vincet Orestem.  
 33 Eia, hoc subtile est ! Nempe hoc summi benefacti  
 34 ille loco apponet, laetusque avidusque leget. Non  
 35 haec illi, ut nobis, stomachum bilemque movere,  
 36 sed lusum risumque solent. His ille venenis  
 37 improbus indulget, pinguescitque. Hic cibus illi est.  
 38 Forte olim ex stagnis et consita arundine ripa  
 39 ranarum absurdos questus, vocemque molestam  
 40 audirem cum praeteriens. "O te miseram, inquam,  
 41 picta anas, haec inter tormenta aurisque oculique  
 42 quae assidue degis ! " Contra perniciter alas  
 43 plaudens, laetitiamque suam clangore professa,  
 44 respondere mihi visa est anas hoc : "Miseram aurem  
 45 morosamque tibi, quam offendit musica talis !  
 46 Pasce, ait, hic sodes mecum, et sonus ipse placebit."  
 47 Cum dico : "Clifforde, precor, librum aufer ineptum.  
 48 Non possum legere, et mihi nausea surgit ab ipso  
 49 principio", mihi tu respondes : "O sale multo,  
 50 et risu atque joco, et multis cariture cachinnis,  
 51 si nescis stultus sapienti quid sapiat, vel  
 52 quid jucundi habeant aegrorum somnia vatium ! "  
 53 Pol tibi ego invideo, at paucis caeloque probatis  
 54 Democriti splenem tribuerunt fata beatum.

55 O felix, quem sic circumvolat undique risus !  
 56 Certe illi numquam et nusquam comoedia deerit.

SELLA EX RELIQUIIS TABULATORUM NAVIS DRACANAE FABRICATA,  
 ET A IOANNE DAVISIO, DEPTFORDIENSI, BIBLIOTHECAE OXONIENSI DEDICATA

C\_10 v.1 Orbe pererrato, solarisque aemula currus  
 2 quem valuit totum noscere, digna polo,  
 3 eligit hunc portum sapiens, rerumque perita,  
 4 formam induta novam Pythagorea ratis.  
 5 Non poterat meritis tribui navisque, Dracique  
 6 nobilius pretium, nobiliorve locus.  
 7 Nam sedet aeterna compostus uterque quiete,  
 8 et Dracus in caelo, navis et Oxonii.

SOLITUDO

C\_11 v.1 Rura laudamus merito poetae,  
 2 rure floremus, dominoque laurum  
 3 sole gaudentem necat oppidorum  
 4 nubilus aer.  
 5 Nam prius crescet seges in plateis,  
 6 et coronabunt fora densa flores  
 7 sponte nascentes, prius ipsa civis  
 8 fiet et herba,  
 9 urbe quam surgat media bonorum  
 10 carminum messis. Bona semper urbem  
 11 carmina oderunt, neque nutrit omnis  
 12 omnia tellus.  
 13 Rure, Persarum veluti tyrannus,  
 14 abditus longo maneam recessu,  
 15 saepe legatum satis est ad urbem  
 16 mittere carmen.  
 17 Arbores salvete, bonaeque sylvae,  
 18 civitas felix avium innocentum !  
 19 Regna Musarum ! Sacra rusticantum  
 20 villa deorum !  
 21 Hic jacens vestris temere sub umbris  
 22 audiam supra zephyros volantes  
 23 cumque fecundis bene disputantes  
 24 frondibus auras.  
 25 O sacrum risum juvenilis anni !  
 26 Cum calor totos penetrans per artus  
 27 fertilem pubem, Veneremque adulti  
 28 suscitatur orbis.  
 29 Hic mihi aestivo domus apta sole,  
 30 pulchra naturae domus architectae !  
 31 Quis trabem excisam prius aestimabit  
 32 arbore viva ?  
 33 Audiam hic prona per aprica collis  
 34 luce turgentes liquidisque gemmis,  
 35 dulce ridentes properare rivos,  
 36 dulce loquentes.  
 37 Esse qui secum nequit occupatus,



38 aut laborabit miser ille vitae  
 39 taedio, aut caras male collocabit  
 40 prodigus horas.  
 41 Tu Deum longis comitata saeculis  
 42 sola tu rerum, sacra solitudo,  
 43 antequam trunco numerorum abiret  
 44 arbor ab uno.  
 45 Impetus mentis nimium evagantes  
 46 instar aurigae cohibes periti,  
 47 et jubes pulchrum brevior gyro  
 48 claudere cursum.  
 49 Languidos mentis fluidae calores  
 50 et nimis multum spatii occupantes  
 51 rite constringensque fovensque pulchros  
 52 elicis ignes.  
 53 Quid mihi aeterno populum, fluentem  
 54 fonte, Londinum, numerosque jactas ?  
 55 Quid mihi ingentes nihil invidenti  
 56 objicis arces ?  
 57 Eximam stultos numero tuorum,  
 58 eximam densum genus improborum,  
 59 vicus obscurus, prope solitudo  
 60 tu quoque fies.

## ODE

C\_12 v.1 Quid relinquendos, moriture, nummos,  
 2 sarcinas vitae, fugiture, quaeris ?  
 3 Si relinquendos - dominum relinquunt  
 4 saepe priores.  
 5 Quid struis pulchros thalamos in altum  
 6 membra sub terra positurus ima ?  
 7 Conferens hortos, sed in omne tempus  
 8 ipse serendus ?  
 9 Num tuas te res agitare credis ?  
 10 Esse te frugalem ? Aliis laboras  
 11 servus infelix, aliena curas  
 12 ardelio ingens.  
 13 Longa momento meditantur uno  
 14 dum senes rebus venientis aevi  
 15 lineae puncto brevis in supremo  
 16 acrius instant.  
 17 Jure formicae cumulant acervos  
 18 providae, et brumae memores futurae,  
 19 sed male aestivas eadem deceret  
 20 cura cicadas.  
 21 Gloriam mendax nitor atque honorum  
 22 posset excusare suos amantes  
 23 si diem vitae valuisset, ut sol,  
 24 pingere totum.  
 25 At brevem post se sonitum relinquens,  
 26 fulguris ritu, simul ac videtur  
 27 transit, illustri loca multa inaurans  
 28 non sine damno.  
 29 O rudis pulchrae prope contuenti

30 scena Fortunae ! Mala fastuosa  
 31 ore larvato ! Lachrymaeque pictae  
 32 iridis instar !  
 33 Magna contemnens, miseransque magnos,  
 34 invidens nulli, minime invidendus,  
 35 vive, Coulei. Lege tuta parva  
 36 litora cymba.  
 37 Hospitem caelorum, imitare alaudam,  
 38 sis licet nubes super ire cantu  
 39 doctus, in terris humilem memento  
 40 ponere nidum.

EPITAPHIUM VIVI AUTORIS

C\_13 v.1 Hic, o viator, sub lare parvulo  
 2 Couleius hic est conditus, hic jacet,  
 3 defunctus humani laboris  
 4 sorte, supervacuaque vita.  
 5 Non indecora pauperie nitens,  
 6 et non inertis nobilis otio,  
 7 vanoque dilectis popello  
 8 divitiis animosus hostis.  
 9 Possis ut illum dicere mortuum,  
 10 en terra jam nunc quantula sufficit !  
 11 Exempta sit curis, viator,  
 12 terra sit illa levis, precare.  
 13 Hic sparge flores, sparge breves rosas,  
 14 nam vita gaudet mortua floribus,  
 15 herbisque odoratis corona  
 16 vatis adhuc cinerem calentem.